

cum literis atque mandatis ad foedus tractandum in Rhætos mitteretur, decretum. Adjectum, quo Præconsultores quam primum de mandatis dandis consulerent, ut intra dies octo ad Senatum referrent. Joannes Baptista Padavinus a Patrum Collegio designatur: mandata dantur. Is statim in Lepontios contendit, in consilium, quod eo tempore celebrabatur, a primoribus gentis, quorum sibi animos antea liberaliter conciliaverat, deducitur. Perlectis Senatus literis, quibus benevolentia atque animi propensione Veneti strenuam atque finitimam gentem persecuti sint, Padavinus exequitur. *Statutum semper Patribus fuisse, ut arctiori necessitudinis vinculo cum ea republica conducerentur: quod hucusque id ad exitum perducere nequiverit, fortunæ potius ac temporum malignitati, quam voluntati tribuendum: hac vero legatione quantum hæc sibi cordi hæserint, cunctis Senatum patefacere voluisse: vel finium propinquitate, vel rerum publicarum statu, in quibus libertas vigeat, non minora iis, quam Venetis commoda, securitatem, decus foedera paritura: itaque ad id summi momenti negotium tractandum suam omnem operam, studium, diligentiam exhibere; ea in re non minus Veneti Senatus scribam, quam amicis fortissimæ gentis futurum.* Perhumaniter trium foederum concilii præsides Padavino respondent. Duodecim qui de tota re tractent, postea ad concilium referant, deliguntur. Post multa hinc atque inde agitata, in leges antea decretas conventum. Tria controversa capita ita definita sunt. Primum, ut Lepontii suo milite Venetos adversus quoscumque tueantur; cum de inferendo bello agatur (perpetua quæ vocant) cum Oeniponti comitatu foedera ferventur. Posteriori capite cautum, ut paria præsidiariis, atque iis, qui in exercitu erunt, stipendia, mille nempe ac septingenti aurei menstrui, uti ab aliis Principibus fieri consuevit, persolvantur. Tertium, quoties eis bellum inferretur, triginta aureorum millia a Senatu petebant, Padavini virtute præteritum, eo tantum adjecto, ut quoties bello lacefferentur, quæ a Republica auxilia tribui possent, iis impertiretur. Negotio quadridui spatio discussio, de viris qui communitatum suffragia exciperent mittendis actum: novem ac viginti lecti, quos Padavinus

Joannes
Baptista
Padavinus
ad Rhætos
designatus.

Fœderis
Rhætorum
cum Vene-
tis tracta-
tiones.

(ita